



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. III. De convenientia Incarnationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

sinebat ea loqui; quare horum verborum sensus est, Christus non sinebat daemones dicere, se scire quod ille esset Filius Dei: quod Christus idem prohibebat, tum quia illi mentiebantur, cum hoc non cerò scirent, sed dubitanter; tum etiam, quia id solum dicebant ad explorandum, juxta illud Ambrosij: *Explorando tentabant, & tentando explorabant.*

DISPUTATIO III.

De Convenientia Incarnationis.

Ad articulum 1. quæst. 1.

Quamvis mysterium Incarnationis sit possibile, non tamen inde sufficienter habetur, illud esse convenientius; quandoquidem multa sunt possibilia, quæ tamen non sunt convenientia. Unde olim quidam hæretici (teste Tertulliano initio libri de carne Christi, & Athanasio in orat. ad Adelphium) existimantes Incarnationem Christi esse possibilem, dicebant, illam non esse Deo convenientem, sed potius supremæ ejus majestate indignam: Quare egregie idem Tertullianus: *Apud sapientiam secularem, citius creditur Iupiter taurus, quam Christus factus homo.* Ut ergo illorum hæreticorum insaniam refellamus, & mundanæ sapientiæ, quæ apud Deum stultitia est, sophismata diluamus, hanc disputationem institimus, in qua mirabiles hujus mystetij convenientias breviter exponemus. Prius tamen imploratâ divini Numinis ope: *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, det nobis spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis nostri, ut sciamus quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus.* Ad Ephesios 1.

ARTICULUS I.

An convenientius fuerit Deum incarnari?

1. **Q**uia convenientia omnis, vel est quædam habitudo, sive relatio, vel talis sine illa explicari nequit: mysterium autem Incarnationis, dicitur habitudinem ad Deum, ad naturam humanam, & ad alias creaturas, sive ad totum universum, utpote contentum aliquo modo in homine, scilicet tanquam in epilogo sui, ut loquitur Philo, idem de convenientia ejus per respectum ad illa tria agendum est. Unde

Dico primò: mysterium Incarnationis esse convenientius Deo. Ita D. Thomas art. 1. quæst. 1.

2. Probat primò ratione quam ibidem in corpore articuli insinuat, & quæ sic breviter proponi potest. Convenientius est summo bono se summo modo communicare: Deus est sumum bonum, & se summo & perfectissimo modo per Incarnationem communicat: Ergo illa est convenientius Deo. Majorem probat D. Thomas ex D. Dionysio cap. 1. de divin. nomin. dicente bonum esse sui diffusivum. Minorem verò ostendit ex eo quod Incarnatio sit perfectissima, & maxima omnium communicationum Dei ad extra, quandoquid per illam Deus ita se communicat homini, ut fiat unum substantialiter cum illo; & naturam creatam sic sibi conjungit, ut una persona fiat ex tribus, Verbo, anima, & carne, sicut dicit Augustinus 13. de Trinit.

A Pro majori hujus egregij discursus elucidatione, in primis observandum est, Deum se communicare dupliciter, primò ad intra, & ab eterno; secundò ad extra, & in tempore. Primo modo Pater æternus communicat suam essentiam Filio, per generationem, & Pater & Filius Spiritui Sancto, per mutuam spirationem & dilectionem: secundo modo se communicat creaturis quadrupliciter, nimirum in ordine naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ; quæ quatuor genera communicationum designant & adumbrati videntur, per quatuor illa flumina in quæ fons paradisi terrestribus dividebatur, & quibus universæ terræ superficiei, nullis adhuc imbribus, nullis aquis fecundata, initio mundi rigabatur.

B Porro inter illas hoc versatur discrimen, quid in duabus prioribus, Deus tantum sua bona largitur; in ordine quidem naturæ, bona naturalia, & creaturis connaturaliter debita, esse, & vere, intelligere, essentiam, facultates, & potentias, aliæq; similia ad donum creationis vel conservationis pertinentia; in ordine verò gratiæ, dona gratuita, seu creaturis indebita, & ad ordinem supernaturalem spectantia; putâ gratiam sanctificantem, virtutes infusas, dona Spiritus Sancti, & auxilia supernaturalia: At in posterioribus, non solum bonâ & dona sua, sed etiam seipsum communicat; cum hoc tamen discrimine, quod in ordine gloriæ se communicat solum in esse intelligibili & intentionali, uniendo suam essentiam per modum speciei & formationis intelligibilis mentibus beatorum, lumine gloriæ perfusis: in ordine verò hypostatico seipsum communicat in esse naturæ, & entitativo, quatenus suam naturâ & substantiam, substantia-liter & personaliter humanæ naturæ conjungit.

C Secundo advertendū est, communicationem aliquam posse dici majorem duobus modis, intensivè scilicet & extensivè: dicitur major primo modo, quando aliquid nobilius & perfectius communicatur; secundò verò, quando ad plura subjecta seu supposita se extendit. Unde communicatio ordinis gratiæ, est major priori modo communicatione ordinis naturæ, cum bona supernaturalia sint multò nobiliora & perfectiora naturalibus: è contra verò communicatio ordinis naturæ, potest dici major posteriori modo, communicatione ordinis gratiæ: cum illa ad omnes universi creaturas se extendat, ista verò Angelis & hominibus peculiariter sit, & cum, ut ait Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli, *Communis sit omnibus natura, non gratia.*

E Ex his facile inteliges, quomodo communicatio quæ facta est in mysterio Incarnationis, sit omnium maxima, tam intensivè, quam extensivè: intensivè quidem, cum illud quod humanitati assumptæ communicatur, nempe ipsa substantia increata Verbi, sit infinitæ dignitatis & perfectionis, & omnia bona ac dona ordinis naturæ, gratiæ, & gloriæ in infinitum superet: extensivè autem, cum non solum ad homines & Angelos, sed etiam ad omnes universi creaturas, in homine velut in epilogo contentas, quodammodo se extendat. Unde Joan. 3. Incarnatio dicitur facta, non solum ex amore hominis, sed etiam ex dilectione totius mundi: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret* quia nempe per Incarnationis mysterium, non solum natura humana, sed etiam omnes aliæ creature

universi, ad divinam celsitudinem & existentiam quodammodo evecta sunt, & totus mundus mirum in modum nobilitatus & decoratus, ergo ut ita dicam deificatus, ut fufius in tertia conclusionem expendemus.

6. Probatur fecundo conclusio aliâ ratione quâ inquit S. Thomas in argumento sed contra, & quæ sic potest formari. Opus in quo omnes Dei perfectiones summopere splendent, est ipsi convenientissimum: Sed in opere Incarnationis Dei, mirum in modum omnia ejus attributa live perfectiones divinæ relucunt: Ergo illud opus fuit Deo convenientissimum. Major est coram, conveniens enim est Deo, ut per visibiles effectus sua invisibilia attributa demonstret, B. cum ad hoc præsertim totus mundus sit factus, præsertim illud Apostoli ad Rom. Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt &c. Minor verò probatur: Attributa live perfectiones divinæ sunt præsertim omnipotentia, sapientia, bonitas, iustitia, & misericordia; ad illa enim reducuntur cætera omnia, ut providentia ad sapientiam, liberalitas & magnificencia ad bonitatem, & sic de alijs: in opere verò Incarnationis, quinq; illa attributa mirum in modum resplendent, ut patebit discurrendo per singula.

In primis ergo quoad omnipotentiam, manifestum est illam mirum in modum relucere in hoc mysterio, cum non videatur posse extendi Deo potentia ad ullum opus majus, quàm illud, quo homo sit Deus, & Deus homo: unde opus incarnationis, propter sui excellentiam, antonomastice in Scriptura, opus Dei dicitur: Habae. 3. Domine opus tuum, in medio annorum virifica illud. Hæc. 8. Ut faciat opus suum, alienum opus ejus: ut operatur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo. Et Phil. 2. cæli, luna, & stellæ, opera digitorum Dei esse dicuntur, Incarnatio verò Luca 1. vocatur à Beata Virgine opus omnipotentis brachij Dei, ut inquireret illam esse excellentissimum & supremum opus, & de potentia ejus absoluta majus & perfectius fieri non posse. Nam ut discit D. Thomas 1. p. quæst. 25. art. 6. ad 4. Humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo, & beatitudinaria ex hoc quod est fructus Dei, & Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito quod est Deus; & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo. Unde Divus Bernardus lectione 3. in vigilia Nativitatis: Tres mixtura facit omnipotens in assumptione nostra carnis, tria opera ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, ut talia neque facta sint, neque facienda sint amplius super terram: conjuncta quippe sunt ad invicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Primâ mixturâ voluit Deus infirmiora nostra abundantiori gloriâ sublimare, & contraxit se manifestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, & in persona una sibi invicem amarentur Deus & limus, majestas & infirmitas tanta, vilitas & sublimitas tanta: nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tantâ dignatione Deus descendit in limum, tantâque dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus sequebatur; quidquid limus pertulit, Deus in eo portasse dicitur, tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento &c.

Addo divinam omnipotentiam maximè fulgere in eo quod tanto & tam mirabili fœdere utramque naturam conseruit, ut nec inferiorem conservaret glorificatio, nec superiorem minueret assum-

A prio, ut loquitur Leo Papa serm. 1. de Nativit. Vidit Mayfes Rubum qui ardebat & non consumebatur, & præ admiratione exclamavit, & dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus!* In quo mysterium Incarnationis præfiguratum fuit, ut docet Ambrosius super cap. 6. Apocal. nam rubus spinosus humanam naturam, varijs miserijs & defectibus obnoxiam, flamma verò Divinitatem figuravit, Rubus ergo ardebat, & non comburebatur, quia in Incarnatione, sicut Divinitas non est mutata in humanitatem, ut amitteret quod erat, sic nec humanitas Divinitate consumpta, aut in divinam transmutata naturam, ut dicebant olim quidam hæretici, quos disputatione præcæiali impugnavimus, sed ex duabus substantijs humanitatis atq; Divinitatis inter se conjunctis, unus constituitur Christus, & ut ait D. Leo Epist. ad Flavianum: *Tenet simul proprietatem suam utraque natura, & sicut formam servi, Dei forma non adimit; ita formam Dei, servi forma non minuit.*

Demum in hoc mysterio adeo elucet divina potentia, ut Gregorius Nissenus, asserat, *Naturam omnipotentem ad humanam naturam visitatem potuisse descendere, majus esse potentia argumentum, quàm ingentia qualibet ac stupenda miracula. Etenim magnum aliquid & excelsum elaborare divinam potentiam, naturam quodammodo consentaneum est & consequens, &c. At verò delapsus ille ad id quod abjectum est & humile, abundantia quadam est potentia, quæ nec in illis quidem, quæ sunt præter naturam impediri potest. Quemadmodum ignem sursum niti, nemo miratur; eundem verò si deorsum, gravium corporum more, ferri videamus, tunc in admirationem rapimur. Sic ergo (subdit idem S. Doctor) divinam præstantemque vim ac potestatem, non cælestium globorum magnitudines, non siderum splendores, non ille ornatus universi, non perpetua rerum administratio adeo demonstrat, ut illa Dei ad naturam nostram imbecillitatem desconfidat.*

Elucet secundo in hoc sublimi & admirabili mysterio divina sapientia, tanto cunctis splendore, ut D. Thomas 4. contra Gent. cap. 54. merito dicat: *Quod si quis diligenter & pie Incarnationis mysteria consideret, inveniet tantam sapientiam profunditatem, quod omnem humanam cognitionem excedat: secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 1. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Vnde fit ut pie consideranti, semper magis ac magis admirabiles rationes hujusmodi mysterii manifestentur.* Et D. Augustinus de se testatur in libro confess. quod non satiabarur dulcedine admirabili considerare altitudinem consilij divini super salutem generis humani. Certe mirabilis sapientiæ fuit invenire modum tam admirabilem conciliandæ Dei justitiæ vindictivæ, cum sua misericordia, qualem

E in hoc mysterio conspiciamus: Nam ut discurrit D. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 13. decentissimū fuit, quod Deus volens humano generi condonare tot & tam graves injurias, exegerit nihilominus aliquam reparationem suæ gloriæ, per justitiam vindictivam; sed difficilimū erat invenire medium conveniens ad hoc præstandum: oportebat enim eū qui satisfaceret Deo, & debitum hominum habere, & illud debitū posse dissolvere: At homo quidem purus poterat habere debitum, sed non poterat illud dissolvere, id est, pro illo satisfacere, contra verò Deo omnia sunt possibilia, sed debitum satisfaciendi illi non poterat

poterat convenire; unde oportebat ut ille qui pro peccatis nostris satisfaceret, Deus & homo simul existeret, ut in quantum homo, debitum posset suscipere; & quatenus Deus, illud valeat dissolvere.

9. Confirmatur: Oportebat satisficientem & redimentem humanum genus, malum poenae nobis debita pati, & tamen illud ipsum superare; nam pati tantum & non superare, fuisset succumbere malis nostris, non verò nos liberare ab illis, ut ait Augustinus: Deus, utem purè manens Deus, mortem sustinere non poterat, putaretur homo illam superare non valebat: Unde Leo Papa: *Salva utriusque proprietate substantiae, & in unam coeunte naturam, suscipitur à virtute infirmitas, ut quod nostris remedium congruebat, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex alio; id est perferre mortem, ut homo; illam superare ut Deus. Sic Paulus ait 2. ad Corinth. 13. Carnis fixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.*

10. Deinde quanta esset divina sapientia ostendit Deus in nostro mysterio, medio quo diabolus usus fuerat ad impediendum illius executionem utendo, ut eam exequeretur. Creditur Dæmon quod si totam inficeret peccati labe naturam nostram, Deus illam sperneret, & illius fœditas impediret, ne eam sibi per Incarnationem conjungeret, hinc ad peccati malitiam primum hominem induxit, atque ita totam humanam naturam, in eo tanquam in suo capite contentam, fœdè deturpavit. Verum tantum abest, ut ex eo propositum sibi finem adeptus sit, quin potius ipsam peccati nostri calamitatem & fœditatem, uniendo se naturæ nostræ motivum Deo fuit: quia in re compertum verè fuit quod sancta canit Ecclesia: *Ars ut artem falleret, & medellam ferret inde, hostis unde leserat. Sanè Dæmoni convenit eruditum Juliani Imperatoris Emblemata, qui aquilam sagittâ quæ ipsius pennis ornabatur transfixâ depinxit, hoc subscripto lemmate, Ab ipsa contra ipsam; id est, ab illa nascitur quod illam interimit. Non enim aliter contingit adversario humani generis, quippe ab illo egressum est pravum consiliū, quo peccare hominem compulsi fecerunt; quod tamen ipsi inventori & artifice diabolo sagitta lethalis fuit, quæ ejus viscera transverberat, & per omnem transfiget aternitatem.*

Item in hoc mysterio Deus suam ostendit sapientiam, in eo quod cum perfectissimus sit, & nihil ipsi ad augmentum accedere possit, nec ad decrementum decedere, modum tamen quo proficeret invenit, ut eleganter expendit D. Bernardus serm. 3. in ascensione, his verbis: *Christus cum per naturam divinitatis non haberet quod cresceret, ascenderet, vel proficeret, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, & mori, ne moveremur in æternum, propter quod & Deus exaltavit illum.* Unde Nazianzenus orat. 39. ait quod ille qui ascendit super calum cali, ad orientem gloria sua & splendoris, in occasu glorificatur vilitatis, humilitatisque nostræ. Quod breviter expressit Leo Papa serm. 2. de passione dicens: *Christum pulverem objectionis nostræ, corpus fecisse gloria sua.*

12. Invenit etiam per hoc mysterium modum admirabilem ad temperandum divinitatis suæ splendorem, & nostræ naturæ claritatem augendam, ut bellè observavit Gregorius Magnus homil. 2. super Ezechiel. & lib. 28. Moral. cap. 2. ubi

hæc verba Ezechielis expendens, Et de mediis quasi species electri, subdit. *Quid electri species? Christus Iesus mediator Dei & hominum designatur. Electrum quippe ex auro & argento est. In electrum aurum argentumque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit: illud à claritate proficit, hoc à claritate temperatur. Quia igitur in unigenito Dei Filio, naturæ divinitatis unita est natura nostra; in qua adunatione humanitas in maiestatis gloriam excrevit, divinitas à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit; per hoc quæ humana natura clarior facta est, quasi per aurum cum argento & quia divinitas à fulgore suo nostris aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum.*

Eleganter quoque ait Gregorius Thaumaturgus, in oratione quadam in Epiphania, *Christum terram celumque, velut pontem, ita corpore suo univit se.* Nimirum ut homines paulatim ad sublimitatem & diviniora erigi consueverent. Nondum enim (inquit Bernardus) meram lucem poterant aliquatenus sustinere, sed exhibere illis oportuit Verbum in carne, Solem in nube, lumen in tecta, mel in cera, & reum in laterna.

Præterea mirabilis sapientiæ fuit inventio, modum, quo Deus gloriam suam mirabiliter amplificaret, habereque à quo summè ac plane divinè coleretur: si enim quibusdam Regibus & Imperatoribus gloriosum fuit, Reges alios subditos habere, atque illorum ministerio ad vilissimam uti: multò magis Deo gloriosum est, habere hominem Deum, à quo colatur, oratur, adoretur, quique ad vilissimam quæque ipsius causæ subjecerit.

Fuit & hoc mirabilis sapientiæ, quod Christus obesset carne, velut escā quadam & illecebrā, potentissimum hostem captus ac devotus cepit, & victum fractumque potentia spoliavit. Hinc Gregorius Papa homil. 25. illud Jobi cap. 45. de Leviathan hamo capto ad Christum accommodans: *In hamo (inquit) testa ostenditur, aculeus occultatur. Hunc ergo Pater omnipotens homo cepit, quia ad mortem illius incarnatum Venerunt misit, in quo & caro passibilis videri posset, & divinitas impassibilis videri non posset, &c.* In hamo ergo Incarnationis captus est, quia dum in illo appetit escā corporis, transfixus est aculeo divinitatis, &c. In hamo captus est quia inde interit, unde memoratus, & quos tenebat mortales iure perdidit, quia enim in quem ius non habuit, morte appetere immortalem presumpsit.

Denique quid sapientius quam difficillimum præterij invenire tam mirabilem solutionem, superbiæ diabolicæ tantā humilitate comprimere, lapsos homines, per hominem Deum reparare, ad nihilum per peccatum redactos, ad ipsum fastigium divinitatis evellere, & ad complementum totius universi, conjungere primum cum ultimo, hoc est Verbum Divinum, quod est omnium principium, & humanam naturam, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creaturarum, ut discursit D. Thomas opusc. 60. cuius verba infra referemus.

Quantum ad bonitatem divinam, ita in Incarnatione elucet, ut Paulus ad Titum de hoc mysterio loquens dicat: *Benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Quibus verbis significare videtur, tunc primum apparuisse benignitatem Dei, cum incarnatus est, non quod antea in creatione mundi non apparuisset, sed quia multò magis in Incarnatione, quam in creatione

resplenduit. Unde ipse Christus ex hoc solo mysterio videtur commendare charitatem Dei erga homines, Joan. 3. dicens, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret!* Quod est asserere in hoc beneficio Deum modo quodam specialissimo, suam erga homines charitatem & benignitatem ostendisse. Nulla enim major esse potest charitas & benevolentia, eam quam amans maxime se communicat amato, & modo ipsi maxime beneficio & utili: Deus autem, ut supra vidimus, per incarnationem perfectissimo modo se communicat humanæ naturæ, quatenus substantialiter & personaliter ei se coniungit, idque modo beneficentissimo & ipsi naturæ utilissimo, ut patebit ex dicendis conclusionibus sequenti, ubi utilitates & commoda, quæ nobis ex incarnatione obvenierunt, fuisse declarabimus. Ergo in hoc mysterio potissimum Dei charitas & benignitas elucet, & divitiis divinisissimi sui erga nos amoris Deus effundit. Unde Incarnatio significatur per osculum, quod est præcipuum amoris & benevolentia lignum, Cantica. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Sicut enim in osculo os unius dilecti ori alterius coniungitur per incarnationem duæ naturæ, divina scilicet & humana, in eadem persona Verbi copulantur, quod his verbis expressit D. Bernardus in Cantica: *Sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur, osculum verò quod patitur ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex utroque compacta, Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, &c.* Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed homo homini unitur, & ibi quidem contactus laborum, complexum significat animorum; hic autem consederatio naturarum, divinis humana componit, quæ in terra sunt, & quæ in caelis pacificans, ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum.

Quantum ad divinam iustitiam, mirum etiam in modum in incarnatione effulget, cum per eam Verbum Divinum condignam & rigorosam Patri pro delictis hominum exhibuerit satisfactionem, quæ à nullo puro homine exhiberi poterat. Unde D. Paulus per excellentiam & anomalam, Divini Verbi incarnationem, opus divinæ iustitiæ vocavit: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ, ad Roman. 3. & Jerem. 13. Mellis venturus, appellatur Iustus ioster;* quia pro nobis debebat satisfacere ex toto rigore iustitiæ, quæ etiam de causa Isaie 11. iustitia dicitur, *ut conculcavit lumborum ejus.* Hinc etiam Zeno Veronensis, ait quod in celesti Zodiaco Virginem excipiamus per libram, ut nosceremus per Christi ex Virgine adventum, adventum esse iustitiam, juxta illud Zacharie, *Veni tibi iustus & salvator.* Demum Leo Papa: *Veni in hoc mundum dives atque misericors negotiator celi, & commutatione mirabili inuit commercium salutare.* Iustus enim & misericors Deus, non sine iustitiæ suæ voluntatis est usus, ut ad reparationem nostram solam potentiam benignitatis exerceret. Sed quia consequens fuerat, ut homo faciens peccatum, servus esset peccati; sic medicina egri, sic reconciliatio reus, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis iusta sententia, iusto liberatoris opere solveretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret Divitas, non tam ratio Diabolum vinceret, quam pietas.

Denique in incarnatione maxime elucet divina misericordia, hoc enim mysterium fuit

A quodammodo necessarium, ut Deus perfectè misericors esset, seu ne quid ad divinæ misericordiae complementum deesset: Nam ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 21. art. 3. *Misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor, quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset propria miseria; & ex hoc sequitur quod operetur ad depellendam miseriā alterius, sicut miseriā propriam, & hic est misericordiae effectus: tristiari ergo de miseria alterius, non competit Deo, sed repellere miseriā alterius, hoc ei maxime competit.* Ex quibus aperte constat, duplicem esse misericordiae actum, quorum primus est repellere miseriā alterius, secundus alienā affici miseriā: primus Deo maxime proprius est, ratione ejus omnipotentia & infinitæ virtutis; secundus verò divinæ adversatur naturæ, ratione ipsius immutabilitatis, & perfectæ felicitatis: quare ut ex utroque actu Dei compleretur misericordia, & ut perfectè misericors fieret, oportuit ipsum incarnari, ut posset compati infirmitatibus nostris, & ut loquitur Apostolus ad Hebræos 2. *Per omnia debuit fratribus assimilari, ut misericors fieret, id est, ne quid ad perfectæ misericordiae complementum deesset.* Unde merito Christo adaptari possunt verba illa Job 31. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris mea egressa est mecum:* Nam licet ab æterno esset infans misericors, ratione suæ bonitatis & omnipotentia, cujus benefica vis adversa quæque & noxia à nobis repellere potest, crevit tamen ab ejus infantia miseratio, & de utero matris cum eo egressa est, quia ex Virgine matre humanam assumpsit naturam, ratione cujus novit compati infirmitatibus nostris, & ex alienis tristitia arumnis; quare Marci 8. dicebat Discipulis: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, & Lucæ 7. cum vidisset Viduam lacrymantem, & lugentem mortem filii sui, misericordiam motus super eam, dixit illi, noli flere, & cap. 19. ut appropinquavit Ierusalem, videns civitatem, flevit super illam, &c.* Denique Apostolus ad Hebræos 4. ait: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia, pro similitudine, absque peccato.*

Hoc argumentum ex manifestatione divino-
rum attributorum desumptum, quod fuisse expendimus, breviter à D. Thoma perstringitur opusc. 60. art. 1. ubi ostendit sacramentum Dominicæ incarnationis fuisse Deo convenientissimum, quia decebat Deum suam sapientiam offendere, potentiam, & bonitatem: quid autem potentius quam conjungere extrema summæ distantia? Magna enim potentia fuit in conjunctione disparium elementorum, major in conjunctione illorum ad spiritum creatum, maxima verò in unione ad spiritum increatum, ubi maxima est disparitas. Quid verò sapientius, quam quod ad completionem totius universi fieret conjunctio primi & ultimi: hoc est Verbi Dei quod est omnium principium, & humana natura, quæ in operibus sex dierum, fuit ultima omnium creaturarum? Quid etiam benevolentius, quam quod creator rerum communicare se voluit rebus creatis? Et hac benignitas magna fuit in conjunctione sui cum omnibus rebus presentiam; major, quia communicavit se bonis per gratiam; maxima, quia communicavit se Christo homini, & per consequens generibus singulorum, in unitate persona.

Dico secundò: Incarnatio est conveniens naturæ

tura humana, id est, ipsi commoda & utilis, & magnum bonum & perfectionem illi afferens.

19. Conclusio ferè per se nota est, declaratur tamen primò, quia per Incarnationem natura humana ad plenam divinitatis participationem elevata est, & ad tantum celsitudinis gradum elevata, ut quò altius attollatur non habeat, sicut dicit Augustinus de prædestin. Sanct. cap. 15. Unde Rupertus in cap. 28. Genesis docet mysterium Incarnationis figuratum fuisse per mysticam illam isalam, in qua Patriarcha Jacob vidit Angelos descendentes in terram, & ascendentes in cælum; eadem quippe charitas, quæ Christum humiliavit & exinanivit per Incarnationem, naturam humanam per gratiam, & unionem hypostaticam exaltavit, & ad supremum magnitudinis fastigium evexit. Hinc notant aliqui ex SS. Patribus, quod in veteri testamento, priusquam Dei Filius homo fieret, Angeli patiebantur se ab hominibus adorari; eos enim adoraverunt Abraham & Loth Genes. 18. & 19. sed post Mediatoris adventum, cum se Joannes adoraturus Angelum prostravisset, audivit: *Vide ne feceris, servus tuus sum & fratrum tuorum.* Quæ verba expendens Gregorius magnus lib. 27. Moral. cap. 8. *Quid est (inquit) quod prius æquanimiter se concedebant adorari, post adorari ab homine Angeli recusant? nisi quod prius hominem carnalibus corruptionibus deditum, nec ab eis carnalibus corruptionibus redemptum, quod abjectiorem noverant, justius contemnebant: postmodum verò humanam naturam ad jam substratam habere non poterant, quò hanc in auctore suo, etiam super semetipsos ductam, videbant: neque enim debebat in membris subjecta despicere, quæ in ipso membrorum capite meruit venerari.* Agnoscebant ergo Angeli hominis naturam, Dei Filio hypostaticè unitam, propter quod ab hominibus se adorari non amplius permittebant, sed potius carnem nostram ipsi conjunctam, ab ipsis adorandam esse sciebant. Unde Chrysostomus: *Magnum, & mirabile, & stupore plenum est, carnem nostram sui sui sedere, & adorari ab Angelis.* Hoc ego sapiens in mente versans, excessum patior, magna de genere humano imaginans.

20. Secundo, per Incarnationem homines in ordine gratiæ habent caput homogeneum & ejusdem naturæ, à quo omnium gratiarum charismata in membra defluunt. Quam rationem insinuat Augustinus tract. 80. in Joan. ubi exponens illud Christi, *Ego sum vitis, vos palmites*, sic ait: *Vitis quippe natura sunt vitis & palmites: cum ergo esset Deus cujus natura non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines, palmites esse possemus.*

21. Tertiò, per hoc mysterium Deus dedit nobis perfectum exemplar omnium virtutum, debet enim respectu hominum exemplar esse visibile & perfectum: Deus autem in propria natura est quidem perfectissimus & sanctissimus, sed non visibilis, & à nobis cognoscibilis: homo è contra est visibilis, sed non impeccabilis: Angelus verò neutrum habet, cum nec possit à nobis videri, nec ex propria natura impeccabilis & indefectibilis sit: Ut ergo homines haberent exemplar perfectum, Deus factus est homo, & Christus venit in mundum, qui cum ex duplici natura, divina scilicet & humana constet, habet duas illas condiciones, ad perfectum exemplar necessarias; nam ratione naturæ divinæ, impeccabilis est & infinite sanctus; & ratione naturæ hu-

A manæ, visibilis & cognoscibilis. Hanc rationem insinuat Augustinus term. 52. de diversis, ubi discurre: *Homo sequendus non erat, qui videri poterat, Deus sequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homini & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.* Unde Plato in libro de legibus ait: *Mensura omnium viri homo, sed Deus est, maxime verò, si Deus fiat homo.* Quare interrogatus, quandiu ipsius legibus standum foret, respondit: *Donec aliquis sacrum homine in terris appareat, qui fontem omnibus veritatibus aperiat, quem denique sequantur omnes.* Item Tertullianus in Apolog. loquens de morum disciplina, sic ait: *Venit igitur qui ad reformandam & illuminandam eam, venturus à Deo prænuntiabatur Christus ille Filius Dei, ille Dei radius, ut retro semper predicabatur, delapsus in Virginem quandam, & in utero caro ejus figurata, nascitur homo Deo mixtus, cum spiritu instructa nutritur, adolescit, afflatur, docet, & operatur, & Christus est.* Demum D. Bernardus, de Drogo Oltienis, bellè observavit, Christum in Incarnatione de carne sua fecisse animæ nostræ præclarissimum speculum omnium virtutum: sicut enim ad conficiendum speculum, duo corpora debent conjungi, quorum unum sit lucidum & diaphanum ad recipiendas species, puta vitrum, aut crystallus; alterum verò contra sit obsecutum, & opacum ad illas transmittendas, v.g. stannum, aut plumbum: ita similiter, admirabili planè divinæ sapientiæ ordine & dispensatione, divina & humana natura in Christo conjunctæ sunt, ut lux immensa divinitatis, per opacitatem & obsecutitatem naturæ nostræ quodammodo temperaretur, & infinitati nostræ, quæ infinitum illum splendorem ferre non poterat, fieret proportionata; subindeque ex mirabili illo divinæ & humanæ naturæ confortio ac temperamento, perfectum omnium virtutum speculum exhiberetur hominibus. Unde Bernardus super Cantica, alloquens ipsum Christum, *Vtrumque es mihi Domine Iesu, & speculum patientiæ, & primum patienti.* Et Drogo Oltienis: *Fecisti mihi, benignissime Iesu, de carne speculum animæ meæ.*

Quarta ratio insinuat à D. Cypriano, lib. de cardinalibus Christi operibus, cap. de nativitate Christi, ubi dicit Christum factum esse hominem, ut homo haberet in Deo, unde fieri posset plenè beatus; in anima, videndo Christi divinitatem, in corpore, videndo ejus humanitatem, ut tota hominis conversio esset ad Christum. Quam rationem etiam eleganter expendit D. Augustinus in Manuali cap. 26. his verbis: *Deus propter homines factus est homo, ut uterque sensus hominis in ipso beatificaretur, & videretur oculis cordis in ejus divinitate, & oculus corporis in ejus humanitate, ut sive ingrediens, sive egrediens, in ipso pascu veniret humana natura constituta ab ipso.*

E Ultima ratio assumitur ex D. Thoma hic art. 2. ubi ait quod homines per Incarnationem mirabiliter promoventur ad bonum, & remouentur à malo. Primò enim promoventur ad bonum, quæ magis certificatur ex hoc quod ipsi Deo loquenti credit, juxta illud Joannis: *Progenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* Unde Augustinus lib. 11. de civit. cap. 2. *Per mens in fide fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas, Dei filius, homine assumpto, non Deo consumpto, eandem constituit ac fundavit fidem, ut ad Deum iret esset homini, per hominem Deum; hic est enim me-*

diator Dei & hominum homo Christus Iesus Christus A
per id quod est mediator, est homo & via perveniendi
ad Deum: quia si inter eum qui tendit, & illud quo
tendit, via media est. spes est perveniendi: si autem de-
sit aut ignoretur quid eundum sit, quid prodest nosse quod
eundum sit? sola est autem contra omnes errores via
mediissima, ut idem ipse sit Deus & homo. Quod itur,
Deus; quod itur, homo.

Secundò promoventur ad spem, ut enim dif-
ficulte Chrysostomus homil. 2. in Matth. Dilectus
filius Dei, etiam filius David esse dignatus est, ut te
faceret filium Dei. Quod si ambigis de his quae ad
teum spectant honorem, ab his quae illius sunt, etiam
difficile credere. Quantum consequi potest humana ratio,
multo est difficilius Deum hominem fieri, quam homi-
nem Deum filium consecrari: cum ergo auteris, quod si-
lius Dei, filius sit & David & Abrahā, dubitare jam
desine, quod & tu qui filius es Ade, futurus sis filius Dei:
non enim frustra nec vanè ad tantam humilitatem ip-
se descendit, sed ut nos ex humili sublimaret; natus est
cum secundum carnem, ut tu nascereris spiritu, natus
est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris. Addit
Paulinus Nolanus Epist. 33. quod ita per Christum
Dei iuncti & insiti sumus ut, Dei arbitrium teneamus
in terra nostra. Spiritum sanctum quem dedit no-
bis, & nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi;
quod alterum istud immensum, quo à divinis mor-
talibus differantur, medio & inter utraque communi
interventu suo, velut quodam (ut sic dixerim) ponte
continuat, ut eius tramite terrena celestibus conser-
vetur. Ergat ergo (subdit Augustinus) spem
suum genus humanum, & recognoscat naturam suam,
& nesciat quantum locum habeat in operibus Dei.

Tertiò per Incarnationem charitas mirum in
modum inflammatur, unde Christus Luca 12.
Ite veni mittere in terram. Est enim amor, &
offensio amoris, causa efficacissima movens ad
amandum, juxta illud Seneca: Ego tibi monstra-
lo amatum sine medicamento, sine herba, sine ullius
reus carmine; si vis amari, ama. In hoc autem
opere maxime ostendit Deus amorem suum er-
go homines, cum amor, juxta Dionysium, sit
mitivus, & per hoc mysterium Deus homi-
ni perfectissime uniatur. Unde Augustinus
lib. de catechizandis rudibus; si amare pigeat,
saltem redamare non pigeat. Deinde similitudo
est causa amoris: quae verò major excogitari
potest similitudo Dei cum homine, quam in
ipsa natura humana: unde sicut Alexander, ut
amorem & benevolentiam Persarum, quos
bello subjugaverat, sibi conciliaret, deposita
veste Macedonianā, habitum Persarum induit:
ita Deus in mysterio Incarnationis, in similitu-
dinem hominum factus est, & habitu inventus
ut homo, ut fieret hominibus maxime amabilis;
& cum in creatione fecisset hominem ad ima-
ginem & similitudinem suam, in Incarnatione
factus est ad imaginem & similitudinem homi-
nis, ut duplicatā similitudine, amorem nostrum
erga ipsum vehementius accenderet, & veluti
duplicaret.

Nec solum motivum, sed etiam facilitatem
ipsam amandi nobis praeiungit Deus per Incarna-
tionem; difficile enim amat homo quod non
facile apprehendit: ac non facile apprehendit
entia purè spiritualia, ut Deum, quem, imagina-
tione totā pendente à sensibus, completi non
possunt: ac cum Deus factus est homo, factus est
visibilis & imaginabilis, atque ita facile affecti-
bus nostris apprehensibilis. Sic explicat Au-

gustinus in Enchirid. cap. 15. quod Christus Do-
minus dicit Joan. 10. Ego sum ostium, per me si quis
introierit, salvabitur; & ingredietur, & egredietur, &
pascua inveniet: Nam & mens nostra purè spiri-
tualis, & sensus nostri purè corporei, in Deo in-
carnato pascua inveniunt, & in illo habent un-
de perfecte reficiantur & delectentur, ut supra
ex eodem Augustino visum est. Vide Bernar-
dum serm. 6. de Ascensione Domini, qui Chri-
stum carne suā usum esse dicit, ut qui assurgere ad
spiritualia non prædelectant, eos in suae carnis provoca-
ret affectum, atque ita paulatim ad Deum attolleret.
Idem docet serm. 20. in Cantica, his verbis: Ego
arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod
voluerit in carne videri, & cum hominibus homo con-
versari, ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter ama-
re non poterant, cunctas primò ad suae carnis salutarem
amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad
amorem perduceret spiritalem.

Homines etiam per Incarnationis myste-
rium remouentur à malo, quatenus instruun-
tur, ne diabolus peccati autorem sibi præfe-
rant, aut sequantur, qui per Incarnationem ip-
sis subiectus est; & docentur quanta sit digni-
tas naturae humanae, tam opere exaltata, ne
peccando tam iniquent. Unde Leo Papa
serm. 1. de Nativ. Domini: Agnosce, o Christiane,
dignitatem tuam, & divina consortis factus natura, noli
in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.
Memento cuius capitis, & cuius corporis sis membrum.
Reminiscere quod erutus de potestate tenebrarum,
translatus es in Dei lumen & regnum. Noli te dia-
boli iterum servituti subicere, quia pretium tuum san-
guis Christi est, qui veritate te iudicabit, qui misericor-
diā te redemit.

Habent etiam homines in hoc mysterio unde
cognoscant melius peccati foeditatem & mali-
tiam, tanto remedio indigentem, subindeque ut
ab eo magis abhorreant; & ut superbiam, quae
maximè eos impedit ne Deo adhaereant, fugi-
ant, tantā incarnati Verbi humilitate instru-
cti, unde Augustinus: Si haec medicina superbiam
non curat, quid eam curet nescio. Item ipsius Chri-
sti meritis, à durissima peccati & demonis ser-
vitude homines liberantur.

Denique Augustinus 13. de Trinit. cap. 17.
multa alia esse dicit quae in Christi Incarnatio-
ne, salubriter intuentia & cogitanda sunt, & D.
Thomas hic art. 2. in fine corporis, inquit pluri-
mas alias esse utilitates, quae consecutae sunt ex
hoc mysterio, supra apprehensionem sensus hu-
mani.

Dico tertiò, Incarnationis mysterium fuisse
conveniēti, seu utile & commodum toti uni-
verso.

Hæc etiam conclusio evidens est ex supra di-
ctis, nam ex hoc mysterio ad omnes creaturas
quædam peculiaris dignitas redundavit; quia, ut
supra dicebamus, in natura hominis omnes res
create quodammodo continentur, & ideo assu-
mendo illam naturam, omnes creaturas quo-
dammodo Deus specialiter copulavit, ut bene
notavit Cajetanus hic art. 1. & multi existi-
mant indicatum esse à Paulo, cum dicit ad Ephe-
s. 1. omnia in Christo esse instaurata, propter
novam scilicet dignitatem & excellentiam, om-
nibus creaturis, in homine ut in epologo to-
tius universi collectis, ex unione hypostatica
collatam. Propterea, ut supra annotavimus,
amori totius mundi, mysterium Incarnationis
tribui-

tribuitur Joan. 3. & Isaia 45. omnes creaturæ ad hoc mysterium perficiendum invitantur, his verbis: *Rorate cali desuper, & nubes pluant iustum, aperiat terra, & germinet Salvatorem.* Ob eandem rationem SS. Patres, præsertim Nazianzenus orat. 42. & Iustinus in expositione fidei, Verbi Incarnationem, æconomiam appellant; est enim æconomia quasi universalis dispensatio: per Incarnationem autem toti universo provi- sum est, quia in omnium creaturarum utilita- tem & dignitatem cedit.

30. Confirmatur: Conveniens erat has tres re- rum differentias in universo reperiri, ut sicut in nobis est unica natura in unica persona, & in Deo natura unica in pluribus personis, essent in Christo naturæ plures in unica persona. Sicut Leo Papa dicit, conveniens fuisse dari hominem productum ex muliere sine viro, quia iam alii tres modi producendi hominem inventi fue- rant, nempe ex viro sine femina, sicut Eva pro- ducta est; ex femina & viro, sicut ordinariè ho- mines generantur; & absque viro & femina, per productionem ex nihilo, sicut Adam formatus est.

ARTICULUS II.

Utrum fuerit magis conveniens, Filium incarna- ri, quam Patrem, vel Spiritum sanctum, & naturam humanam, potius quam angelicam, ab illo assumi?

31. Dico primò, convenientius fuit Filium ip- carnari, quam Patrem & Spiritum sanctum, Ita D. Thomas in 4. quæst. 3. art. 8. ubi id probat quinque rationibus, seu congruentiis. Pri- ma est, quia unio est similium: Filius autem, qui est Verbum & conceptus Patris, habet speciali modo rationem similitudinis exemplaris re- spectu cuiusvis creaturæ. Secunda, quia ope- ra artis per eandem ideam & notionem refor- mantur, per quam formata sunt: omnes autem creaturæ sunt opera artificii divini, & Filius est Verbum per quod facta sunt universa. Quam rationem Leo Papa sem. 11. de Passione ele- ganter declarat, his verbis: *In hac autem ineffabi- litate Trinitatis, cuius in omnibus communia sunt opera atque iudicia, reparationem humani generis pro- priè Filii persona suscepit, ut quoniam ipse est per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quique plasmatus de limo terræ hominem, statu vitæ rationa- lis animavit, idem naturam nostram ab æternitatis ar- ce dejectam, amittere restitueret dignitatem, & cuius erat conditor, esset etiam reformator.* Tertia, quia pro- pria hominis perfectio est sapientia: Filius au- tem Dei est conceptus divinæ sapientiæ, & Pa- tris Verbum, quo debet homo fieri sapiens se- cundum Deum. Unde Guitemundus Aversanus Episcopus in confess. de sancta Trinit. *Quoniam mortuus est (inquit) homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per sapientiam. Incarnata est igitur Dei sapientia, ut deleteretur hominis insipien- tia.* Quarta, quia Incarnatio facta est ad constituendos homines filios Dei adoptivos, quod convenienter fit per Filium Dei natura- lem. Quinta, quia Incarnatio facta fuit in re- medium peccati primi parentis: peccaverat au- tem primus parens, appetendo scientiam, ut pa- ter ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali: unde conveniens fuit

A ut per Verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo. Addi potest quod Filius est persona quasi media inter Patrem & Spiritum sanctum, quare decuit ut etiam ipse esset Mediator inter Deum & homines, quod factum fuit in Incarnatione.

Aliam quoque SS. Patres assignant rationem, cur Filium præ cæteris personis carnem suscipe- re decuerit, nescilicet Filii appellatio transiit ad aliam personam, ex quo in sanctissimam Tri- nitatem indecora quædam redundaret confu- sio. Hanc rationem affert Gennadius in li- bro de dogmatibus Ecclesiasticis cap. 2. *Non Pa- ter (inquit) carnem assumpsit, neque Spiritus san- ctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Unus Patris Filius, ipse fieret in homine hominis matris- filius: ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset æternæ nativitate filius.* Bernardus quoque lect. 2. de Annunt. quæstioni isti, quæ ratione Filius ma- gis incarnatus sit, quam Pater aut Spiritus sanctus, respondet: *Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus Incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confu- sionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maxime congruum, ut si specialiter filius fieret, qui filius erat, ne quid esset ambiguitatis nomine.* Alia demum est ratio, quæ ad Patrem specialiter attinet, quia ei non convenit mitti alio- quo, cum non sit ab alio. De quo in Tre- ctatu de Trinitate, disputatione ultimâ. Qui plura cupit, legat Guillelmum Parisiensem in fine libri *cur Deus homo*, ubi hanc quæstionem subtiliter & curiosè pertractat.

Dico secundò, magis conveniens fuit, natu- ram humanam assumi à Verbo, quam angeli- cam. Est etiam D. Thomas in 4. quæst. 4. art. 1. & in 3. dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. ad 1. ubi ait: *Natura angelica non tota corrumpitur, & An- gelus peccans statim in malo confirmatus fuit, non au- tem homo, & idè natura humana reparari debuit, non autem angelica.*

Deinde natura humana, cum imbecillior sit quàm angelica, magis debuit divinam provo- care misericordiam, & Deus illius miserendo, benignitatem suam manifestare. Quam ratio- nem egregiè expendit D. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 9. his verbis: *Duas ad intelligendum crea- turas Deus fecerat, angelicam videlicet & humanam: utrumque verò superbia percussit, sed una regnanti- nis habuit, alia verò nihil infirmum de carne gustavit: misertus ergo creator, illam ad se debuit reducere, quam in peccatione culpa, ex infirmitate aliquam constat habuisse: & eo amplius debuit apostatam An- gelum repellere, quo cum à persistendi fortitudine cer- ruit, nihil infirmum ex carne gestavit.*

Item Angelus suâ sponte, & veluti sine occa- sione peccavit: homo verò fuit à muliere indu- ctus, quæ prius à serpente inducta est. Quam et- iam rationem habet ibidem Gregorius, relatam à D. Thoma 1. p. quæst. 64. art. 2. argumento 4. cuius solutione advertit, rationem non esse æqua- tam, nec valere pro omnibus Angelis qui peccaverunt; ad summum enim procedit deprim- mo Angelo peccante, cum alii ipsius suasionem ex- emplo ad peccandum inducti fuerint.

Præterea, ruina Angelorum potuit reparari per homines, sublevando homines ad eorum sedes, quæ veluti vacuæ manserunt: hominum verò lapsus non poterat suppleri, substituendo aliam naturam, loco humanæ, cum alia natura

pure corporeæ, & humanæ inferiores, beatitudinis capaces non sint.

Denique, Si Verbum Divinum assumpsisset naturam angelicam, talis unio & communicatio ad creaturas pure corporeas non se extendisset, & totum univ. per illam non fuisset nobilitatum, & veluti delictatum; unde ad complementum universi, ac perfectiorem divinæ bonitatis diffusionem & communicationem, magis conveniens fuit, naturam humanam à Verbo assumi, quam angelicam.

ARTICULUS III.

Utrum Incarnatio convenienti tempore facta fuerit?

Ratio dubitandi est, quia lapsus Adæ in ipso serē nacentis mundi exordio contigit: At Incarnatio Verbi, est unicum remedium humani generis post lapsum: Videtur ergo quod convenientius fuisset subventum humanæ miseræ, non ita dilata fuisset Incarnatio, nec tam sero parata medicina.

Confirmatur: Opus Incarnationis ex immensitate divinæ misericordiæ & charitatis processit, ita illud ad Ephel. 2. *Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam quā dilectus, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo.* Sed magis esset commendata charitas Dei, si Incarnatio esset facta à principio, statim post peccatum, cum charitas non tardet subvenire amico necessitatem patienti, secundum illud Proverb. 3. *Nedicas amico tuo, vade & revertere, ego dabo tibi, cum statim possis dare:* Ergo Incarnatio convenienti tempore facta non est. Nihilominus.

Dico primò, fuisset valde conveniens, quod Incarnatio non fieret ab initio mundi, & statim post lapsum Adæ. Ita D. Thomas hic quæst. 1. art. 1.

Probat primò ratione quam ibidem insinuat. Licet Incarnatio fuerit ordinata ad liberandum hominem à peccato, tamen valde conveniens fuit, ut non statim veniret medicus saluti ad illum sanandum: cum enim hominis peccatum processerit ex superbia, eo modo liberandus erat homo, ut humiliatus recognosceret suam infirmitatem, & indigentiam medicæ & liberatoris; atque ita clamaret ad ipsum, & gratiæ quæreret auxilium; quod non tam commodè factum fuisset, si statim à principio post peccatum venisset Christus: dilatio enim tanti beneficii, humiliores reddidit homines, cum per tot annos & sæcula experti fuerint, senec per opera legis naturæ, nec per sacrificia legis scriptæ; peccati pagum potuisse excutere; unde etiam factum est, ut dilato beneficio, & necessitate crescente, desideria Salvatoris crescerent: Ergo fuit valde conveniens, quod Incarnatio non fieret ab initio mundi, & statim post lapsum Adæ.

Deinde, ut ibidem discurrit S. Doctor, fuit conveniens ad commendationem tam excellentiæ mysterii, ut plurima sæcula præcederent executionem ejus, ad hoc ut horum sæculorum decursu, Incarnatio expectaretur ab omnibus, postularetur à Patriarchis, prædiceretur à Prophe-

Tom. IV.

tis, & præfiguraretur legis Mosaicæ umbris: ut enim ait de Filio Dei Augustinus Tractatu 31. in Joan. *Primo per multam seriem temporum & annorum prædicendus fuit, non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat prædicendus, semper tenendus.* Quando major Judex veniebat, tanto præconum series longior præcedere debebat. Hanc rationem eleganter expendit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 2. ubi sic discurrit: *Nihil putem à Deo subitum, quia nihil putem à Deo non dispositum: si autem dispositum, cur & non prædicatum, ut probari posset & dispositum ex prædicatione, & divinum ex dispositione.* Et utique tantum opus quod humana saluti parabatur, in quantum credi habebat ut prodesset, in quantum paraturam desiderabat, ut credi posset, substructam fundamentis dispositionis & prædicationis, quo ordine fides informata, merito & homini indiceretur à Deo, & Deo exhiberetur ab homine.

Addit S. Thomas, quod si Christus Dominus in principio mundi venisset, fervor fidei temporis prolixitate tepuisset: hæc est enim hominum conditio, ut non diu in officio virtutis ferventer perseverent, ut patet in Ecclesiæ progressu, quæ ab illo charitatis fervore, quem habebat in exordio, statim declinare cepit: unde fieret ut pauciores Christi gratiæ & beneficiis fruèrentur. Quam rationem insinuat Theodoretus lib. 6. de curationibus Græcorum, his verbis: *Si in principio Christus mortem subisset, quando peccatum non perinde effusum fuisset, nemo deinde credidisset.* Unde

Ad rationem dubitandi initio propositam respondetur, quod licet lapsus Adæ in ipso mundi nacentis exordio contigerit, & Incarnatio sit unicum remedium ad ejus reparationem à Deo institutum, propterea tamen non oportuit eam ab initio mundi fieri, quia etsi ejus executio sit dilata, ejus tamen utilitas & efficacia effectum habuit anticipatum, per fidem Christi venturi, quam habuerunt etiam priora mundi sæcula, & per quam homines in lege naturæ, & in lege scriptæ justificati sunt; quapropter Apocal. 3. Christus dicitur *Agnus occisus ab origine mundi.*

Ad confirmationem dicendum est, quod licet charitas non tardet amico subvenire, illi tamen succurrere debet, secundum negotiorum opportunitatem, & prout convenit ejus conditioni: Non enim (inquit Chrysostomus) si aliquid utile est, idcirco statim dari debet; nam etiam solidus cibus utilis est, nec tamen datur à principio, & si medicus statim à principio agnitionis, medicinam daret infirmo, minus proficeret, & fortè magis læderet, quàm juvaret; non expediebat autem, ut statim à principio post peccatum, Incarnationis remedium humano generi exhiberetur, illud enim ex superbia contemneret; si prius suam infirmitatem non cognosceret: unde Sapiens expeccavit animarum medicus, donec universa malitia agnitione panderetur ut ait Gregorius Nyssenus, relatus à Theophylacto, super Epistolam ad Hebræos, exponente illa verba: *Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad reprobationem peccati per victimam sui ipsius manifestatus est.* Idem docet D. Bernardus homil. 1. de Adventu: *Tempus est* (inquit; post expensas alias Incarnationis cum cunctantias) jam ipsum quoque considerare tempus quo Salvator advenit. Venit enim (quod & vos credimus non latere) non initio temporum, sed in fine. Nec incongrue factum est, sed verè sapienter disposuit Sapiencia, ut cum magis esset necessarium,

ggg

tune

tunc primò ferret auxilium, pronos ad ingratitude[m] A
Ad filios non ignorans. Verè enim advespera[re]bat, &
inclinata erat jam dies; recesserat paululum Sol iusti-
tie, ita ut exiguus nimis splendor ejus aut calor esset in
terris. Nam & lux divina notitia parva admodum e-
rat, & abundante iniquitate, fervor refriguerat cha-
ritatis. Tam non apparebat Angelus, non loquebatur
Propheta, cessabant velut desperatione victi, prænimia
utique duritia hominum & obstinatione.

39 Dico secundò: Conveniens fuit Incarnatio-
nis mysterium non differri usque ad finem mun-
di, sed multò ante illum fieri. Ita D. Thomas hic
art. 6. & patet ex suprà dictis: sicut enim perti-
nuat ad dignitatem hujus mysterii, ut aliquandiu
expectaretur & prædiceretur; ita & ne tanta ef-
fer ejus dilatio, ut jam & mores hominum essent
omnino corrupti, & fides ejus protus amissa, ac
spes quasi desperata, quod contigisset, si usq[ue] ad
finem mundi dilatum esset: quod facillè crederet
quicumque corruptionem morum, tam in lege
naturæ, quam in lege scripta, cum ad fines suos
devenissent, consideraverit. Unde sicut Sol in
medio planetarum positus est, ut superiores &
inferiores illuminare posset, ita Christus verus
Sol iustitiæ, in medio annorum venire, & mun-
do se manifestare voluit, juxta illud Abacuc. 3.
in medio annorum notum facies, ut sæcula anterio-
ra, per fidem suæ Incarnationis futuræ illumina-
ret, & sequentia per doctrinam evangelicam ab
ejus ore promanatam illustraret, & per Sacra-
menta ab ipso instituta sanctificaret.

40 Observandum tamen est, quod licet dicatur
Incarnatio facta in medio annorum, non pro-
pterea putandum est, esse factam in medio tem-
poris mathematicè, ita ut tantum super sit anno-
rum post illam, quantum præcessit (nam omni-
no incertus est ultimus finis mundi, sicut & ju-
dicii dies, & poterit contingere quod plures an-
ni transierant post Christi adventum, quam fue-
rint ante ipsum vel è contra quod sint paucio-
res) sed dicitur esse facta in medio annorum,
quia non est facta in principio, vel in fine tem-
poris; quod enim est inter duos terminos, dicitur
in medio, quamvis magis distet ab uno ter-
mino, quam ab alio: quæ ratione etiam dici so-
let aliquid factum in medio populi, si non est fa-
ctum in uno aut alio angulo, aut tantum coram
aliquibus, sed palam apud plures, quamvis isti
non sint medietas populi.

DISPUTATIO IV.

De necessitate Incarnationis.

Ad articulum 2. D. Thoma.

Licet quidquid est necessarium, sit simul
conveniens, non tamè omne quod est con-
veniens, est simul necessarium, subindeque
declaratà Incarnationis convenientiâ, insuper,
& consequenter, ejus necessitas ad exhibendam
Deo condignam satisfactionem, hic exponen-
da est, & celebres difficultates, quæ de Christi
satisfactione hic agitari solent, exactè sunt di-
scutiendæ & explicandæ.

ARTICULUS I.

*An homo purus sit impotens ad satisfaciendum
de condigno pro suo vel alieno peccato mortali,
quæ adeo ad exhibenda Deo condignam satis-
factionem pro peccatis hominum, necessarium
fuit Deum incarnari, seu alienam naturam
assumere?*

Titulus clarus est, patet enim primò nos-
qui de homine puro, per exclusionem uni-
nis personalis ad Deum, hoc est de homine
Deo: non verò de homine puro, per exclusio-
nem gratiæ & anxiliis supernaturalis, id est ius-
tis naturalibus constituto. Constat etiam, non
solum hic agere de satisfactione pro peccato
mortali, sive proprio, sive alieno; purum enim
hominem pro suo peccato veniali de condigno
satisfacere posse, communior Theologorum
sententia est, de qua in Tractatu de penitentia
dicemus, & ex dicendis in decursu hujus arti-
culi, manifestè patebit. Tertiò liquet nos hic non
loqui de Incarnatione strictè sumpta, seu pro
idem est ac carnis à Verbo assumptionem, sed large
accepta, prout significat assumptionem naturæ
creatæ, sive angelicæ, sive humanæ: potuit enim
Verbum, vel alia Trinitatis persona, absque
assumptione carnis satisfacere de condigno pro
peccato humani generis, assumendo scilicet na-
turam angelicam, vel animam rationalem, ab-
que materia, seu carne, & eâ mediante actum
finitè meritorios & satisfactorios elicere. Deni-
que non agimus hic de satisfactione rigoris,
seu quæ observet omnes leges strictæ & rigoris
iustitiæ (hanc enim omnes fere fatentur à puro
homine exhiberi non posse) sed solum de condi-
gna & æquali, per quam redditur æquivalens
debito: hanc enim posse offerri à puro homine
pro peccato mortali, vel suo, vel saltem alieno,
D contendunt aliqui, quos sequentibus conclusio-
nibus referemus ac refellemus.

S. I.

*Duplici conclusione, proposita difficultas res-
olvitur.*

Dico primò: Pura creatura, quantumcumque
gratiâ exornata, nequit pro suo peccato
mortali condignam exhibere satisfactionem. Ita
contra Scotum, Paludanum, Durandum, Ricar-
dum, & alios, quibus aliqui adjungunt Cajeta-
num, quem tamen ab hac sententia liberat, & in
nostram trahit Aravius in præfati, num. 24.

E Hanc conclusionem, aliis rationibus ut fuit
bus explosis, probat in primis Vázquez hic disp.
2. hoc argumento. Illa satisfactio non est per-
fecta & æqualis, quæ non compensat omne debi-
tum, sed unam duntaxat partem, aliâ gratiæ
condonatâ: Sed satisfactio quam purus homo
potest exhibere pro suo peccato mortali, est in-
jusmodi: Ergo non est perfecta & æqualis. Ma-
jorem non probat Vázquez, sed ut manifestam in-
ponit, Minorem verò ostendit ex eo quod quan-
do homo per contritionem pro suo peccato sa-
tisfacit, Deus gratis ipsi condonat debitum
quod ex peccato contraxerat, carendi auxilio
quo converteretur, & actum contritionis eli-
geret.